



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 74. Papa Fœderi accedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

filiis haud consonum erat. Pariter etiam Sæcul. XVI.
A. C. 1523.
Cæsar his quidem induciis annuere videbatur, hanc tamen belli cessationem, ut exequendo consilio paratas haberet moras, valde diuturnam optabat, proin concordia negotio haud eluctandum opponebat obstaculum; quippe Galliarum Rex, cum nuper de Mediolanensi Ducatu ejectus esset, de longis armorum induciis sermonem fieri haud sustinebat, probe gnarus, hac cunctatione hosti partas ditiones certius tuendi spacium indulgeri. Attamen hanc Regis repugnantiam Cæsar, ac Rex Angliæ opportune in rem suam vertebant, ut summum Pontificem ad firmandum fœdus inducerent.

§. LXXIV.

Papa Fœderi accedens.

Sub idem tempus Romam advenerat Carolus Lanoyus Neapolis Prorex Guic. l. 13.
Adriano non solum patria, sed & familiaritate conjunctissimus. Is tanta dexteritate Pontifici persuadebat, quod Franciæ Rex sit solus, & unicus, qui bellum adversus Solimanum præpediret, atque Italiæ tranquillitatem turbaret, ut proin Pontifex teneretur, sese illius hostem palam profiteri, iisque accedere, qui saltem armorum vi Gal-

Sæcul. XVI. los ad officium redigere possent. His
A.C. 1523. tandem expugnatus Pontifex die tertia
 Augusti adversus Gallos armorum socie-
 tatem iniit cum Cæsare, Anglorum
 Rege, Ferdinando Austriæ Archiduce
 Cæsaris fratre, ac Mediolanensium Du-
 ce, quibus itidem accessere Genuenses,
 Florentini, Lucenses, atque Senenses.

§. LXXV.

Fœderatos profligandi occasio a Gallo neglecta.

Franciscus Rex potentissimo hostium
 foedere minime territus, bellum pro
 expeditione Mediolanensi parare haud
 destitit; quapropter ad Italiæ fines ex-
 ercitus admovit, jamque ipse eo con-
 tendere parabat, cum Camboriti per
 nuncium literas acciperet, quibus Co-
 mes de Bossu Guisæ Gubernator hæc
 Regi significabat: matura omnino oc-
 casio tibi potentissime Rex obvenit, qua
 nullo ferme tuorum militum dispendio
 Cæsaris exercitus in Belgio profligare
 poteris; quidam enim miles præfidi-
 rius nomine Livetus Arschotti Duci,
 Hanoviæ Gubernatori promisit, se ei-
 dem, pacta quadam pecuniarum sum-
 ma Guisiam traditurum, quem in finem
 Dux iter aggredi, Avennæ jamjam de-
 crevit: præfatus vero miles Gallis im-
 mota